

non revelaturum, quod vidit, vel audivit, nihilominus ad dicendum testimonium cogi potest, *Steph. d. p. 145.*

ARTICULUS LXXIII.

De publicatione testimoniorum; sive Rotuli, quod vocant.

1. De publicatione testium hoc loco satis prolixè & manifestè agit Imperator, quæ licet de justitiâ, tamen nō est de substantiâ ordinis judiciarii, *Myns. 4. obs. 52. n. 1. 2. Gail. 1. obs. 105. in pr.*

2. Factâ publicatione partibus pro tollerabili descriptionis pretio exempla, sive copiarum testimoniorum dandæ sunt pro defensione faciendâ adversus testium personas & dicta, *Steph. hîc, num. 1. & Zieritz. verbis exempla, seu copias.*

3. Quod autem hîc cavetur, ne ab alio, quàm qui testes examinavit, sive is Judex sit, sive Commissarius, publicatio attestatorum fiat, ei accedit *Baptista à Villalob. in lit. P. n. 388.* ubi tamen hoc distinguitur in Judicis successore.

4. Nec tantum copiarum attestatorum partibus dandæ, sed & tantum temporis concedendum, quantum causæ magnitudo & necessitas ipsa postularit, quò omnia ad eos, quorum interest, in primis ad reum deferri, eiq; denunciari, cujus res agitur, commodè possint, neq; enim à reo ii, quorum patrocinio utitur, arceri debent, *Steph. hîc, nu. 1. & Zieritz. verb. neq; enim à reo, vide art. 47. conclus. 3.* Post publicatas attestaciones neutri parti utrimq; plus duo in universum scripta conclusioni servientia proferendi fas est. Vide *Iust. Reifenh. in Decreti Spiensis Nomothesiâ publicâ. p. (mihi) 164. §. 136. nachdem in dem Reichs/r. c.* In criminalibus verò, si causæ adsint urgentissimæ; utriq; parti adhuc tertium conceditur scriptum, *ibi: so aber die Partheyen:* Memini autem in arduâ quâdam criminali causâ accusato nobili S. concessum scriptum tertium, sed accusantem Fiscali minimè.

5. De formâ opponendi contra testes post publicationem agit, *Ferraries. in pract. de form. oppon. contra testes, eorumq; dicta.* Tandem Imp. etiam vult, ut partes in causa concludant, sed in causis criminalibus, quò ad reum nunquam in causa concludi scribit *Gail. 1. obs. 107. nu. 11.* quem sequitur *Steph. hîc, nu. 2.* Vide *Responsum juris in causâ concernente processum quendam contra sagam nulliter institutum, q. 3. n. 406. cum seqq.* ubi allegatur *art. 92.*

ARTICULUS LXXIV.

Si testimoniis innocentiam suam probare reus velit.

1. Accusatus, si hujusmodi testimoniis, & probationibus, quibus aut excusetur ab intentato crimine, aut purgetur, sese defendere velit, eaq; probatio Judici relevans, & alicujus momenti visa fuerit, omninò audiendus, & eodem modo, quo accusator admittendus, idq; inferius, *art. 151. & seqq.* accuratè explicabitur, *Zieritz. hîc & in verb. sese defendere velit.* Non verò ad probationem irrelevantem & calumniosam accusatus admittendus, *art. 184. Steph. hîc.*